

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Caini Et Abelis, Notis Criticis, Philologicis, Historicis Et Theologicis Illustrata[e] Elektronische Ressource**

**Fecht, Johann  
Fecht, Gustav Friedrich**

**Rostochi, 1704**

**VD18 10451528-001**

§. XVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-41839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41839)

ex iactura vocum ortum, sed sensus potius hiatum, ex contextu nempe supplendum. Nec ויאמר אמר, dixisse aliquid Cainum, quod fuerit in textu omissum, sed locutum ad eundem esse, ceu & Lutherus recte convertit, significat. Quo sensu & אמר accipitur Exod. XIX. ult. Ps. CXXIX. 10. Vid. Pfeifferi Hermenevtica Sacra.

§. XVI. Ad. v. eund. *Cum essent in agro, occidit ipsum*) Curiosus hic & vehementer sollicitus est Clericus, cur in agro dicantur fuisse, cum nulla tum fuerint urbes, quarum respectu dicantur agri. Forte extra urbes nunquam fuit Clericus, qui ignorat, agrum dici etiam respectu unius domus, cui ager circumcirca adjacet. Similis subtilitatis quæstio est, quam notante *Aben Esra* Judæi nonnulli moverunt, quomodo occidere Cain Abelem potuerit, cum gladio fuerit destitutus? Quam Rabbi merito vocat quæstionem; ביום סגור, in die pluvie obnatam. (intelligit autem, explicante doctissimo *Hilperto*, libro de Præadamitis, homines, qui se secludunt & sub tecto continent, adeoque nihil ferii quod agant, habent) Quam Jurisconsulti nostri vocarent Domitianam.

§. XVII. Adv. 9. *Ubi Abel frater tuus?*) Equidem capitale hic iudicium, indice *Varenio*, in Cainum exercet Deus, justus orbis iudex, atque adeo à cognitione causæ incipit: *ubi est Abel, frater tuus?* Ita tamen, ut simul gratiæ suæ in peccantem non sit immemor, sed amabilissimis verbis eundem ad pœnitentiam invitet; recte dicente *Raschio*: להכנס עמו ברברי נחרת אולי; ישיב ויאמר אני הרגתיי וחטאתי לך; *ita exordium sermonis cum ipso ingreditur, verbis ad omnem humanitatem compositis. Cogitabat enim inra se DEUS; forte revertetur & dices: ego occidi ipsum & peccavi in te.* Quam

D 3

verò

verò fallit parricida maximum optimumq; Numen? *Deo illudit, ait Fagius, arguentem irridet atque cum indignatione & sanna contemnit, Nescio, inquit Cain, anne fratris mei ego custos sum? O os impudens & creatori suo nefarie oblatrans! Denuo recte Jarchi: העליונה דער כגונב בעשה non aliter in hoc facto se gessit Cain, ac si scientiam Dei altissimam suffuraretur.* Quam infana ferocia est Dei oculis aliquid velle surreptum! Nec hoc tantum, sed præterea etiam Deo subtrahere in propriam creaturam imperium: *num custos fratris mei sum? Mihine hoconus, hoc officium impones? Apage. Tres sciscitatos esse Deum & reperiisse eos tanquam matulam urinalem, Cain, Ezechiam & Bileam, ajunt pulcre apud Fagium veteres Ebræi; ubi & expositio hujusrei uberius habetur. Delictorum hic gravissimorum cumulum fufe enarrat D. Calovius.*

§. XVIII. Ad v. 10. *Quid fecisti?* Non dicit: furcifer, quid mihi obloqueris? Anne fulmine te meo huic, in qua stas, telluri, infigere debeo? Sed ô admirabilem DEI longanimitatem: *quid fecisti?* Redi adhuc in temetipsum & scelus tuum seriis lacrymis deplora.

§. XIX. Ad v. eund. *Vox sanguinum.*) Longe veritati vicinius est multitudinis numero sanguines dici, quia copiosissimum variis in locis sanguinem profuderit, quanquam non eam ob causam inflictiis ubique vulneribus, quia nesciverit Cain: *מהיכן נפשו יצאה? unde seu ex quo loco anima ejus extura esset, ceu ineptit Abendana cum Jarchio, sed quia fuso exiguo sanguinis flumine non statim vita perit & anima à corpore dissolvitur.* Vicinior, inquam, veritati hæc est sententia, quam illa, quæ posterorum etiam Abelis sanguinem respici arbitratur. Ita *Ben Melech* ex Targum.

§. XX.